

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XVIII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

mus, Zeph. 2. 15. Exemplo est Absolon: sed infelici cum successu, 2. Sam. 18. 14. Ideoq; seipsum humiliare & cuiuslibet honorem suum exhibere præstat. Deus justo tempore ipsi confidentes extollet. Si in hoc seculo id non fit, certo certius fiet in vita æter-

na, ubi nos Reges & Sacerdotes faciet. Apoc. 1. v. 6. ut cum Christo sedeamus in throno suo, Apoc. 3. v. 21. & claritatem videamus, quam Pater ejus ipsi dedit. Fiat id per Christum Jesum!
Amen.

Dominica XVIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22. v. 34.

EXORDIUM.

Postequam Deus Opt. Max. Israëlitas Ægypto eduxerat, præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna à nubis, & per noctem in columna ignis, ut lumen præberet eis, & dux esset itineris, utroque tempore, Exod. 13. 21.

Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Nos omnes non minus quam Israëlites viatores sumus in eremo hujus mundi, & facile in devia aberrare possumus, multa enim scandala & prava exempla occurrunt, quibus corda innocentium seduci possunt ad iniquitatem, Rom. 16. v. 18. Quin & *Diabolus valde negotiosus est*. Et veluti alias noctu quandoq; ignis erraticus visitur, qui viatores à rectâ semitâ seducit, ut sæpè in vitâ discrimen adducantur: sic & ignes erratici in spirituali hujus mundi peregrinatione occurrunt, à Diabolo emissi, ad pios Christianos à recto tramite seducendos, & in æternum exitium præcipitandos. *Ex una parte adsunt filii hujus seculi*, ipsis acclamantes: Veni nobiscum, implebimus domus nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum: martirium unum sit omnium nostrum,

Prov. 1. v. 13. Sap. 2. v. 6. seqq. *Ex altera parte accedunt Pseudo-Propheta & hæretici*, & illiciunt eos in montes suos, Psal. 11. v. 1. Hic dicit: Hic est Christus: Ille, illic est: Ille, est in deserto, est in penetralibus, Matth. 24. v. 26. Hoc ipso verò simpliciores confunduntur, ut quid credere aut reprobare debeant, nesciant. sicut Galatæ, Gal. 5. 10.

Propterea *via ductore* cum primis nobis opus est, qui deducat nos in terrâ rectâ, Psal. 143. v. 10. ne declinemus in curvas vias, Psal. 125. v. ult. sed cautè ambulemus, Eph. 5. v. 15. super semitam justitiæ, Psal. 23. v. 3. quæ ducit ad vitam, Math. 7. 14. quam nobis Christus abitu suo ad patrem complanavit, Joh. 14. 3. & verbum suum velut columnam ducentem nobis adjunxit, ut in hac mundi solitudine idem observemus, si bonum à malo separare velimus. Habemus enim firmum sermonem Propheticum, 2. Petr. 3. v. 19.

Ideam habemus in prælecto Evangelio, ubi Scribæ quæstionem solvit, quam de lege proposuerat, & deinde de Messia eam informationem subjicit, ut quisvis possit cogno-

gnoscere, quod non modò filius Davidis, sed & Dominus Davidis sit, verbo: *θεός & υἱός* in unâ personâ. Qui hæc duo dicit, non facillè aberrabit in ærumnosâ hujus vitæ peregrinatione, sed per tenebrosam vallem mortis feliciter transibit, & feliciter appellet, in cœlesti Hierosolymâ, ubi *πολίτευμα* nostrum est, Phil. 3, 20.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii meditationem accedemus, ex eodem tractaturi.

I. *Αὐθροποροίαν*, sive *notitiam nostri*.

II. *Χρηστρονωσίαν*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegesis.

DE *infernali Leviathan* inter alia dicitur: *Magnifica squama* ejus sunt fortissima scuta, compactum squamis se prementibus: Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: Una alteri adhærebit, & tenentes se, nequaquam separabuntur, Hiob 41. v. 6. 7. 8.

Quæ hæc *squama*? Sunt Diaboli satellites, qui jugum ducunt cum infidelibus, 2. Cor. 16. v. 14. ejusq; regnum pro virili propagare & promovere latagunt. Propterea uno consensu juncti, trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plaustrum, peccatum, Esa. 5. v. 18. imprimis, quando contra Christum agunt: sicut hujus rei in prælecto Evangelio luculentum exemplum habemus, ubi Pharisei technis suis Christum adoriuntur, qui audierant, quod Sadducæis os obturasset, ut ignominiam hanc eorum vindicarent.

Notitiam nostri hinc discemus, si spectabimus:

I. *Pharisaorum congregationem*. Audientes enim, quod silentium imposuisset Sad-

ducæis, convenerunt in unum, deliberaturi nimirum, quomodo Christum insidiis suis circumvenirent, & contumeliâ afficerent.

Quid cum *Sadducæis* acciderit, in præcedentibus exprimitur. Quia enim mortuorum resurrectionem in dubium vocabant, quæstionem Christo proponebant de muliere, quæ septem viros successivè habuerit, cujus in resurrectione futura sit, existimantes, ejusmodi hanc fore quæstionem, ad quam Christus respondere non possit. Sed opinio sefellit eos: expeditè enim Dominus respondebat: Erratis, nescientes scripturas, neq; virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Hoc ipso ad eò iis silentium imposuit, ut audientes turbæ obstupuerint de doctrina ejus.

Quia igitur Pharisei metuebant, ne Christus applausum populi sibi conciliaret, non è re suâ fore censebant, si ita abire sinerent; ideò convenerunt in unum, vitam sibi acerbam putantes, nisi ignominiam hanc vindicaverint. Quamvis enim aliàs cum Sadducæis non faciebant, sed Vatiniano odio eosdem prosequerentur: attamen invidabant Christo hunc honorem, ut ipse Hierosolymis celebraretur, quòd palmam à Sadducæis reportasset, & sic ex parte Pharisaorum apparet, non modò *insignis pertinacia*, dum argumentorum nervis convicti, veritati cedere nolunt: sed & *clandestina invidia*, quâ Christo honorem debitum invident, ut Saul Davidi, 1. Sam. 18. v. 7. Quin & *elata superbia*, dum feliciori cum successu rem acturos se arbitrantur, tanquam claves scientiæ habentes, Luc. 11. v. 52. nec dubitantes, quin Servatoris laudem, si quam à Sadducæis reportaverit, hac ratione decolorare possint. Hoc enim impio-

rum ingenium est, ut insistant viæ non bonæ, & intelligere nolint, ut bene agant, Pf. 36. v. 4. 5.

Hic velim probes te, mi Christiane! utrum & ipse cum hostibus veritatis forte colujeris, & eorum consilio interfueris?

Adhuc hodiè Sadducæi & Pharisei occurrunt, qui & Christum & ministros ejus persequuntur, & quando ad voluptatem eorum non loqueris, iracundiâ moti susurrant inter se, Psal. 41. v. 8. quomodo gratiam referre, & animum vindictâ exsaturare velint. Hæc ecclesia est malignantium, Psal. 26. vers. 5.

Per Sadducæos intelligimus *Epicureos*, quorum magna farrago est, inter Christianos, dicentium: Non est Deus, Psal. 14. v. 1. & putantium, non esse refrigerium in sinu hominis, Sap. 2. v. 1.

Pharisei autem idea sunt omnium *hypocritarum* & *Pseudo-Christianorum*. Sic uti enim omnia opera sua, jejunando, orando, & eleemosynas dando fecerunt, coram hominibus, ut viderentur ab ipsis, Matth. 6. v. 1. sic & hoc tempore ejusmodi hypocritæ ubiq; offenduntur, qui tamen boni Christiani videri volunt. Sed falluntur. In Christo Jesu veritas, Ephes. 4. vers. 21.

Ab utrisq; Christus & ministri ejus parum boni expectare debent. Illi extenuant & loquuntur nequitiam, iniquitatem de excelso loquentes, Psal. 73 v. 8. Agnitio vultus eorum respondet contra eos, & peccatum suum quasi Sodoma prædicant, Esa. 3. v. 9. hi verò in occulto insidias agunt, parantes sagittas suas super chordam, ut sagittent in obscuro rectos corde, Pf. 11, 2.

Ideò genuini Christiani provideant sibi, ne commercium cum illis habeant, sed cum

Jacob dicant: In consilium eorum non veniat anima mea, Gen. 49, 6. Qui enim non est mecum, contra me est, Luc. 11, 23.

Adhuc hodiè inter Christianos reperuntur *homines præfracti*, qui quando peccata ex suggestu reprehenduntur, juitè id fieri, adeoq; cum Scribâ confiteri tenentur: *Magister, bene dixisti*. Interim tamen in peccatis pergunt, dicentes: Nolumus, Jer. 44. v. 16. linguâ nostrâ prævalebimus, labia nostra nobiscum, Psal. 12. v. 5. quod enim infirmum est, inutile invenitur, Sap. 2. v. 11. Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipsorum, Psal. 2, 3. hi *rebeldes & spina* sunt, de quibus Ezechiel cap. 2. v. 6. iisdemq; aliquando durum erit, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Servus enim, qui cognovit voluntatem Domini sui &c. Luc. 12, 47.

In hoc mundo quidem pios Christianos pati oportet, ut concilia adversus se instituantur, quorum conclusum est: Disperdamus eos, ne sint gens, & non memoretur nomen Israël ultra, Psalm. 83. vers. 5. Sed aliud tempus veniet, quando Dominus comitia sua indicet, & advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum: Tum dicturus est: Congregate mihi sanctos meos, curantes fœdus meum magis, quàm sacrificia, Psalm. 50. vers. 4. Impii verò reprobabuntur, pœnas daturi, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Theff. 1. v. 9.

II. *Scriba insurgentis tentationem*. Postquam enim consilium inierunt contra Christum, de viâ & modo ultionis, è medio suo quendam eligunt, qui Scriba & in lege probè peritus erat; Hic Christo quæstionem magni momenti proponit, sed ut Evange-

angelista indicat, tentandi gratia, putat enim, se Christum in sermone suo capturum, & coram omnibus in ruborem conjecturum.

Hic Sycophanta præ se tulit, quasi descendi cupiditate Christum accederet, cum tamen in animo se multo doctiorem censeret, ideoque quæstionem institueret, ut Christo, minus rectè respondenti, ignominia labem adspargeret. Id quod de patre suo Diabolo didicit, qui se in angelum lucis transformat, 2. Cor. 11. v. 14. & tamen homicida est ab initio, Joh. 8. v. 44. qui dies noctesq; quærit, quomodo nos devertet, 1. Petr. 5. v. 8.

Hic examinate, annon & tu ejusmodi Sycophanta fueris, qui proximi famam depeculari, eumq; passim in suspicionem adducere volueris?

Id non adeò rarum est in mundo hoc immundo, ubi semper alter alterius fortunam impeditum it, ideoque existimationi ejusdem detrahit, ubi novit, ipsi id maximo incommodo fore, ne fortè, occasione ita datâ, promotio ei obtingat. Hi Diaboli Apostoli sunt, quorum lingua cogitat infortunium, & sicut novacula acuta facit dolum, Psal. 52. v. 4. Sedentes adversus fratrem suum loquuntur, & adversum filium matris suæ ponunt infamiam, Psal. 50, 20. Et tamen tales videri nolunt, quin potius exterius humanitatem, & amicitiam simulant, velut Judas, Matth. 26, 49.

Alphonfus Arragonia Rex lupis eos comparavit. Nam quemadmodum lupi titillando & scalpitando asinos vorare solent, sic hi ad perniciem aliorum blanditiis & mendaciis contendunt. Ideo Fide, sed cui, vide, Sir. 37. v. 3.

Veri Christiani contra ejusmodi exploratores semuniant per arma justitiæ à dextris & sinistris, 2. Cor. 6. v. 7. *A dextris* quidem, ne & ipsi huic vitio affines fiant. Non appelleris fufurro, Sir. 5. v. 16. Viri enim sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos, Psal. 55. v. 23. Psal. 34. v. 13. Sir. 28. v. 28.

A sinistris autem, ne cum ejusmodi hominibus familiariter converfentur. Ei qui revelat mysteria, & est delator, & dilatat labia sua, ne commiscearis, Proverb. 20. v. 19.

In fabulis Æsopi narratur, quod ægro-tantem gallinam vulpecula amicitiam simulans inviserit, quærenti, quomodo se haberet, respondit gallina: Bene si tu discedas.

Sic & cum Sycophantis ejusmodi agendum est, qui tentandi gratia veniunt, ut postmodum divulgent. Hinc Christianis simplicitas columbina & prudentia serpentina commendatur, Matth. 10. v. 16. Sir. 19. v. 4.

III *Magnificæ titulorum ostentationem.* Legisperitus enim hic vocat Christum *διδασκαλον*, cujus nolebat esse discipulus, Chrysostomus rectè addit: His blanditiis Christum explorare satagit, quærens eum decipere, qui decipi non potest, Job. 13, 9. sed corda & renes scrutatur, Jer. 17, 10. & scit, quid in homine sit, Joh. 2. v. ult.

Hic probate, mi Christiane! an & ipse titulorum blandimentis proximum inescare, ejus animum explorare, & sic in discrimen adducere volueris?

Quando animos & oculos per mundum circumferimus, facilè deprehendimus quantum perè titulorum luxuries hodie inva-

luerit, qui nullo alio fine usurpantur quàm ut phaleratis ejusmodi dictis animi lactari & eò facilius expugnari possint. Sic in vulgari vitâ nihil frequentius est, quàm verbis lenocinantibus & fucò oblitis, & ad gratiam comparatis alteri palpum obtrudere, & supparasitari, ubi intereà cor ipsum malum intentat, ut illud Euclionis apud Plautum hîc locum habeat: *Alterâ manu fert lapidem, alterâ panem ostentat.* Exemplo sit Joab, 2. Sam. 20. 9.

Hoc non magnoperè mirandum est: sunt enim ultima tempora, de quibus ipse Christus prædixit, fore, ut abundet iniquitas, & refrigescat caritas multorum, Matth. 24. v. 12. Quinimò fratrum quoque gratia rara est, Mich. 7. v. 5. 6.

Sic apprimè cavendum, ne blandimentis titulorum glaucoma nobis objiciatur, sub hoc enim lacticio venenum aspidum latet, Psal. 140. v. 4. Sir. 19. v. 23.

De Asce Mugil, qui in mari est, scribit Plinius, quod facillè sentiat, in quo cibo hamus sit. Sed nos hominum corda inspicere & probare non possumus, quomodo in nos affecta sint, id Deus sibi soli reservavit. Tu solus nosti corda filiorum hominum, 1. Reg. 8. v. 39. Hinc Medea apud Euripidem:

O Jupiter, quid hominibus auri certa
dedisti judicia
Quæ probumne an adulterinum sit, arguant?
Viros autem quo exploremus, qui sint mali
Nullus character est impressus corpori.

Optimum est, ut sedulò ad Deum suspiremus:

Sis mihi Deus solatium,
Arx firma, propugnaculum,
Pugnabo sic securè:

Holtes mei

Si subdoli

Incommodant utrinq;

Proterva me cohors dolis,

Lacessit & calumniis

Cassès struens cruentas:

Servator en!

Tyrannidem

Infringe fraudulentam,

Mein Gott und Schirmer steh mir bey!

Seh mir ein Burg / Darinn ich frey

Und ritterlich mög streiten!

Wider mein Feind!

Der gar viel seynd!

An mir auff beyden Seiten.

Mir hat die Welt trüglich gericht!

Mit Lügen und mit falschem Gedicht!

Viel Neß und heimlich Stricke!

Her nimm mein wahr

In dieser Gefahr!

Behüt mich für falschen Tücken.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem *Xerxes*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Disputator optimus.* Hic audimus quod tam Sadducæos quàm Phariseos ita redarguerit, & convicerit, ut ne mutire quidem ausi fuerint. Est enim ejusmodi Dominus, in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi sunt, Col. 2. v. 3. & habet verba vitæ æternæ, Joh. 6. v. 68. quæ penetrabiliora sunt omni gladio ancipiti, & pertingunt usq; ad divisionem animæ & spiritus, Hebr. 4. v. 12. In Gr. est vox *ἐπιμαρτυρεῖ*, quæ significat, os obligavit,

ligavit, sicuti olim boum trituranterum ora obligarunt, Deut. 25. v. 4. quo ipso Evangelista significat, quod Christus ora Pharisæorum & Sadducæorum ita obturaverit, quasi ligata fuerint, nec facile contradicere potuerint, sicuti in horto Oliveti duabus voculis: Ego sum, omnes hostes suos prostravit.

Alias *Disputator cum adversariis disputans* esse debet

1. *Cordatus*. Sicuti legimus de Alexandro Episcopo Constantinopolitano, quod Philosophis gentilibus, qui Imperatorem Constantinum ad partes suas pertrahere satagebant, se masculè opposuerit, his verbis delegatum quendam affatus: *In nomine Jesu Christi, impero tibi, ne loquaris*, ad quæ verba Philosophus obmutuit.

Sic Servator noster Disputator cordatissimus est, non est illi cura de aliquo, non enim respicit personam hominum, Matth. 22. v. 16. Et quem ille metueret? Ecce gentes, quasi stilla situlæ, Esa. 40. v. 15. Quando de cælo auditum facit iudicium, terra tremuit, Psal. 76 v. 9. 10.

2. *Facundus*, ut verba verbis opponere possit, quo sapientia & spiritus in verbis se exerat, ut de Stephano dicitur, Act. 6. vers. 10.

Hoc requisitum in Christo quoque invenitur, ideo vocatur Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. cuius *ῥήματα* sunt *πράγματα*, quæ hostes veritatis ferre nequeunt. Vox Domini in virtute, Psal. 29. v. 4. 7.

3. *Eruditus*, quo ad problemata propo- sita sufficienter respondere possit. Neque hoc Christo defuit, est enim *τεχνητός τῆς ἀντι- τω*, Sap. 7. v. 21. qui omnia novit, Joh. 16. v. 30. Nunquam illi scientia, nunquam respon- sio defuit, sicut in præsentè Evangelio quæ-

stionem Legis periti ita solvit, ut nihil in contrarium afferre possit, sed re ipsa exper- tus sit, quod sapientia hujus mundi stulta sit coram eo, 1. Cor. 1. v. 20.

Nobis hinc *magna letitia* suboritur. Quod enim Christus tum temporis fecit, id quotidie adhuc facit, verbum ejus alliga- tum non est, 2. Tim. 2. v. 9. Est enim ve- ritas ipsa, Joh. 17, v. 17. quæ tandem trium- phat.

Idcirco nos quoque eo innitatur & in vita & doctrina, & nunquam confundemur, sed omnibus perfectis stare poterimus, Ephes. 6. v. 13. Est enim firmior sermo Propheticus, cui bene facimus attendentes, 2. Pet. 1. v. 19.

II. *Tanquam Davidis filius*. Congre- gatis enim Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, David. Recte sic responderunt, at non sufficienter. In- terea hinc colligere possumus, quod tum temporis minime in dubium vocatum fue- rit, Messiam fore filium Davidis, quod Je- su Nazareno hodie à Judæis malitiose de- negatur.

Pharisæi & Scribæ ei omnia exprobra- bant, quæ in opprobrium, contemptum & re- futationem ejus afferre poterant, dum eum Samaritanum esse, & dæmonium habere calumniabantur, Joh. 8. v. 49. dum voracem & vini potatorem, publicanorum & pec- catorum amicum, Matth. 11. v. 19. fabrum Marc. 6. v. 3. seditiosum prohibentem tri- buta dari Cæsari, criminabantur, Luc. 23. v. 2. sed quod filius Davidis non esset, nun- quam ei objecerunt: quod si minimam du- bitandi hac de re causam, vel suspicionem saltem habuissent, non certe id reticuis- sent.

Præterea ex Evangelica Historia constat, quod à quolibet titulo hoc insignitus fuerit. Duo cæci clamantes dixerunt: Misere nostri fili David! Matth. 9. v. 18. idem fecit mulier Cananæ, Matth. 15. v. 22. Quinimo turbæ, quæ præcedebant & sequebantur, clamabant dicentes: Hofanna filio David, Matth. 21. v. 9.

Hoc probe observandum est: Messiam enim ex stirpe Davidis nasci oportuit, sicut ei Deus promiserat, 2. Sam. 7. v. 12. Inde etiam justum germen Davidis appellatur, Jer. 23. v. 12. & virga de radice Jesse egressura, Esa. 11. v. 1.

Quia igitur exploratum nobis est, Christum filium Davidis esse: hoc ipso in fide nostra confirmamur, nec alium Messiam prætolari opus est, sicut hodierni Judæi putant: sed lætabundi dicere possumus: Invenimus Messiam, Joh. 1. v. 41.

Judæi vero in incredulitate sua obdurati sunt, & jam ultra mille sexcentum annos frustra expectarunt: neque certi esse possunt, licet Messias veniret, quod tamen in æternum non fiet, quod vere ex semine Davidis natus sit. In excidio enim postremo Hierosolymorum, Genealogiæ partim combustæ, partim disceptæ, vel alio modo distractæ sunt, unde ex hodiernis Judæis nemo asseverare pro certo potest, ex quo stemmate natus sit: siquidem in Hispania, Turcia, aliisque in locis ubi in frequentia habitant, cum alienis uxoribus se commiscunt, quæ sanguinis Judaici non sunt, cum iisdemque liberos suscipiunt, quod hi ita continuant. Unde B. noster Lutherus autumat, hodiernos Judæos esse colluviem levissimorum hominum, ex Saracenis, Tartaris, & aliis præstigiatoribus constantem, quorum originem nemo sciat,

quamque ipsi ignorent. Hinc mirum non est, adeo præfractos ipsos esse, ut Messiam recipere nolint, sed veterem cantilenam canant: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14.

Interea maximo nobis est solatio, quod ejusmodi Messiam habeamus, qui est stemmate Davidis oriundus, & sic verus homo, & frater noster factus est. Non enim Angelos, sed semen Abrahamæ assumpsit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut fieret misericors &c. Heb. 2. v. ult.

Quando quis in V. T. attenuatus, seipsum vendiderat, aut bona sua oppignoraverat, à fratre, aut consanguineo suo poterat redimi, redemptor ille vocatus est Joel, Levit. 25. v. 47. Num. 35. v. 12.

Hoc optime Christo convenit, qui frater & consanguineus noster factus est, & hæreditatem cælestem, quam in Adamo perdidideramus, sanguine suo redemit, nobisque restituit, ut jam orantes dicere queamus: Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, 1. Petr. 1. v. 3.

Cum Simon captivum fratrem suum Jonathan redempturus esset, argenti talenta centum pendere tenebatur, i. e. coronatorum sexaginta millia, 1. Mac. 13. 15. Sed nos multo pretiosius emi sumus, non auro & argento, sed &c. 1. Petr. 1. 18.

Ne itaque metuamus diabolum: quia enim Christus nos sanguine suo in populum sibi peculiarem redemit, Tit. 2. v. 14. potenter quoque nos adversus portas inferorum proteget, Matth. 16. 18. & nemo rapiet nos de manu ejus, Joh. 10. v. 28.

III. *Tanquam Davidis Dominus.* Non enim Christus Phariseorum responso contentus est, sed probat ex Psalmo 110. quod etiam Dominus Davidis sit, ajens: Quo-

Quomodo ergo David in spiritu eum vocat Dominum, &c.

His verbis Christus non inficiatur, se filium Davidis esse: sed probare vult, se plus quam hominem esse. Quia enim David se Dominum suum vocet, sequi hinc expedite, quod non nudus homo: sed *θεός* sit, siquidem non moris sit, ut pater filium suum, & quidem antequam natus sit, Dominum suum appelliter.

Hinc iterum efficax solatium ad nos redundat. Quia enim Christus non modo Davidis filius: sed & Dominus, & ita in una persona *θεός* est, de plenaria peccatorum nostrorum expiatione dubitare non debemus. Sanguis, qui profusus est, non nudi hominis est, sed sanguis filii Dei, i. Joh. 1. v. 7. mors ejus non nudi hominis, sed filii Dei mors est. 1. Cor. 2. v. 8. Act. 3. v. 14.

Hoc ita in consilio S. S. Triados decretum est, ut pro magnitudine operis, quod Messias exantlare debebat, non merus

homo & filius Davidis: sed & filius Dei & Dominus Davidis foret. Quomodo alias giganti prædam eripere, Esa. 49. v. 24. forti armato arma auferre, Luc. 11. v. 21. mortem in victoria absorbere, Esa. 25. vers. 8. Diaboli opera dissolvere, 1. Joh. 3. v. 8. & peccata expiare potuisset? Dan. 9. v. 24. Hinc Augustinus: *Divinitas sine humanitate non est mediatrix, & humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas.* Nunc dicimus: Consummatum est, Joh. 19. v. 30. Quis accusabit adversus electos Dei? Rom. 8. v. 33. seqq.

Hac consolatione confisi, possumus tranquille vivere, & beati mori.

Quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, Pater noster cœlestis, per filium suum Jesum Christum, servatorem & Dominum nostrum,

Amen.

* * *

Dominica XIX. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. v. 1.

EXORDIUM.

CUm Noah ultra annum in arca perseverasset, & animadverteret, quod aquæ minuerentur in terra aperiens fenestram arcæ, dimisit *corvum*, qui, cum de cadaveribus se sustentare potuit, non reversus est. Emisit quoque *solumbam* post eum, qui venit ad se ad vesperam, portans folium olivæ, decerptum in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod cessassent aquæ super terram, Gen. 8. v. 6. seqq.

Hæc mystice applicanda veniunt.

Arca Noë *imago Ecclesia* est, ut ipse Petrus exposuit, & applicat, 1. Pet. 3. v. 20.

Quemadmodum igitur in illa cohabitabant corvi & columbæ: Sic & in Ecclesia *boni & mali* permixti sunt. *Corvus* vocem habet odiosam, semper clamans, Cras, cras: Sic multi sese offerunt inter Christianos, qui corvinam hanc *edunt*

Vid. infr. part. 3. p. 329. b.

edunt